

qua morula, licet brevissima. Quod Origenes confirmat super Ezechielem, dicens: „ Serpens hostis est, contrarius veritati; non tamen à principio; neque statim super peccatum, & ventrem suum ambulavit. Sicut Adam, & Eva non statim peccaverunt; ita & serpens aliquando fuit non serpens, cum in paradiso, deliciarum moraretur. Deus enim malitiam non fecit. „ Ecce hic aperte dicit, post creationem, interposita morula, cecidisse. Ideoque illa verba sic accipienda videntur, „ Homicida erat ab initio, „ vel „ mendax, „ idest statim post initium, quando sibi Dei æqualitatem promisit, & seipsum occidit, qui homo dicitur in Evangelio. Nec in veritate (10) stetit, quia in ea non fuit; sed ab initio temporis, idest statim post initium temporis apostatavit. Potest etiam & sic accipi illud, „ Ab initio homicida fuit, „ vel „ mendax, „ idest ex quo homo fuit conditus, quem per invidiam in mortem præcipitavit, & fallaciter seduxit. Ex prædictis igitur liquet omnes Angelos bonos esse creatos, & post creationem quosdam cecidisse à bono quod habuissent, si perstitissent.

Quod triplex fuit in Angelis sapientia ante casum, vel confirmationem.

HIC quæri solet, quam sapientiam habuerint ante casum, vel confirmationem. Erat in eis naturalis cognitio triplex, qua sciebant quod facti erant, & à quo facti erant, & cum quo facti erant. Et habebant aliquam boni & mali notitiam, intelligentes quid appetendum, vel respuendum illis foret.

An aliquam Dei habuerint dilectionem, vel sui invicem.

Solet etiam quæri, utrum aliquam Dei, vel sui invicem dilectionem habuerint. Ad quod dici potest, quoniam naturalem habebant dilectionem, ut memoriam, intellectum, & ingenium, qua Deum, & se aliquatenus diligebant; per quam tamen non merebantur.

DIVISIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Ostenso quando, & ubi Angeli creati sunt, hic inquiruntur, quales effecti sunt: & dividitur in tres partes. In prima inquiruntur quales effecti sunt quantum ad perfectionem naturæ; in secunda quales quantum ad gratiam, vel culpam, ibi: *Illud quoque investigatione dignum videtur; in tertia quales quantum ad gloriam, vel miseriam, iv. dist. ibi: Post hæc videndum est, utrum perfectos, & beatos creavit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos.* Prima in duas. In prima ostendit quot fuerunt naturales perfectiones Angelis in principio creationis collatae; secundo ostendit qualiter ad invicem secundum istas operationes comparentur, ibi: *Hic considerandum est. Et circa hoc duo facit. Primo ostendit in quibus erant inæquales; secundo ostendit in quibus erant æquales, ibi: (11) Et sicut in prædictis Angeli differabant, ita & quedam communia, & æqualia habebant.* Circa primum duo facit. Primo ostendit eos fuisse inæquales in perfectionibus naturalibus; secundo ostendit quod secundum gradum naturalium, fuit etiam in eis gradus gratuitorum donorum, ibi: *Ad hunc ergo modum credendum est illas spirituales naturas, convenientes suæ puritati, & excellentiæ... differentias accepisse.*

QUÆSTIO I.

HIC quærentur sex.

Primo. Utrum Angeli sint adeo simplices, quod non sint compositi ex materia, & forma.

Secundo. Utrum sit in eis personalitas.

Tertio. Utrum sit in eis aliquis numerus, & quis est iste.

Quarto. Utrum omnes sint unius speciei.

Quinto. (12) Si non, utrum sint unius generis.

Sexto. De differentia Angeli, & animæ rationalis.

ARTICULUS I.

Utrum Angelus sit compositus ex materia & forma.

I. P. quæst. I. art. 2. & quæst. dist. de spirit. creat. art. 1. & II. cont. Gent. cap. I.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod Angelus sit compositus ex materia, & forma. Quidquid enim est in genere aliquo, participat rationem illius generis. Sed ratio substantiæ, secundum quod est prædicamentum, est quod sit composita ex materia, & forma. Boetius enim dicit in Comment. Prædicamentorum (in expos. prædic. substantiæ) quod Aristoteles, relictis extremis, scilicet materia, & forma, agit de medio: idest de composito, cum de substantia determinat. Cum ergo Angelus sit in prædicamento substantiæ, videtur quod ex materia, & forma componatur.

2. Præterea. Quæcumque sunt in aliquo genere uno, communicant uniformiter principia illius generis. Sed principia generis substantiæ sunt materia, & forma. Cum ergo corpora quæ sunt in genere substantiæ, communicent ista principia, ita quod ex eis componuntur, videtur quod etiam Angelus, qui est in eodem genere, ex materia, & forma componatur.

3. Præterea. Ubicumque inveniuntur proprietates materiæ, invenitur materia; cum proprietates materiæ rei non sint à re separatæ. Sed recipere, substatere, & huiusmodi sunt proprietates materiæ. Ergo cum inveniuntur in Angelo, videtur quod Angelus sit ex materia compositus.

4. Præterea. Omne quod est, vel est tantum actus, vel tantum potentia, vel utrumque. Sed Angelus non est actus purus, quia sic non differret à Deo; nec est potentia pura, quia sic non differret à materia prima: & præterea nullam operationem haberet. Ergo est compositus ex actu, & potentia: & hoc est componi ex materia, & forma: ergo &c.

5. Præterea. In Libro de Causis (propos. iv.) dicitur, quod omne creatum compositum est ex finito, & infinito. Sed Angelus est ens creatum. Er-

go ex infinito, quod ex materia, compositus est. 6. Item dicit Boetius in Lib. de Trinit. (cap. 111.) quod forma simplex subjectum esse non potest. Sed Angelus est subjectum gratiæ. Ergo non est tantum forma, sed etiam habet materiam partem sui.

Sed contra est quod Dionysius dicit in iv. cap. de div. Nom. quod Angeli intelliguntur immateriales, & incorporeales.

Præterea. Boetius dicit in Lib. de duabus Naturis, quod omnis natura incorporeæ substantiæ nullo (1) materiæ nititur fundamento. Sed Angelus est substantia incorporea. Ergo materiam pro fundamento non habet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc materiam tres sunt positiones. Quidam enim dicunt, quod in omni substantia creata est materia, & quia omnium est materia una: & huius positionis auctor videtur Avicenna, qui fecit Librum fontis vitæ, quem multi sequuntur.

Secunda positio est quod materia non est in substantiis incorporeis, sed tantum est in omnibus corporibus, etiam una; & hæc est positio Avicennæ (VIII. Metaph. cap. xii.)

Tertia positio est quod corpora celestia, & elementa non communicant in materia: & hæc est positio Averrois (de substantia orbis cap. 11.) & Rabbi Moysis (Lib. I. directorii cap. lxxv.) & videtur magis dictis Aristotelis convenire; & ideo istam eligimus, quantum ad præsens pertinet, dicentes, quod quidquid sit de corporalibus, in Angelis nullo modo potest esse materia: tum ratione intellectualitatis; tum etiam ratione incorporeitatis: quod enim nullum intellectuale sit materiale, communiter à Philosophis tenetur. Unde etiam ex immaterialitate divina ejus intellectum concludunt. Et ratio satis manifesta est: quia materia prima recipit formam, non in quantum est forma simpliciter, sed in quantum est hæc: unde forma existens in materia non est intellecta nisi in potentia, quia cognosco esse formæ, in quantum est forma: & ideo si intellectus aliquis poneretur habens materiam, forma existens in eo non esset intellecta in actu; & sic per formam illam non intelligeret. Huius etiam (2) signum est, quod forma materialis non efficitur intellectualis, nisi quia à conditionibus materiæ abstrahitur; & sic efficitur perfectio intellectus proportionata sibi: unde oportet intellectum non materialem esse: & hoc non sequitur materiam ex parte alicujus formæ, cum omnis forma per abstractionem à conditionibus materiæ intelligibilis fiat; sed consequitur eam secundum se, & virtualiter, sive sit sub forma corporali, sive spiritali. Secundo incorporeitas repugnat materiæ: cum enim uni perfectibili debeatur una perfectio, & in materia prima non sit ulla diversitas, oportet quod omnis forma antequam possit in ea esse ulla diversitas, nec intelligi, investiat eam totam. Sed ante corporeitatem non potest intelligi aliqua diversitas, quia diversitas præsupponit partes, quæ non possunt esse nisi præintelligatur divisibilitas, quæ consequitur quantitatem, quæ sine corporeitate non est. Unde oportet quod tota materia sit vestita forma incorporeitatis: & ideo si aliquid est incorporeum, oportet esse immateriale. Et tamen aliquam compositionem in Angelo ponimus: quæ qualis sit, sic investiganda est. In rebus ex materia, & forma compositis

In II. Sent. Tom. II. (1) Al. modo nititur. (2) Al. significatum. (3) Al. quod. (4) Nicolai ostendit dictum.

tis, natura rei, quæ quidditas, vel essentia dicitur, ex conjunctione formæ ad materiam resultat, ut humanitas ex conjunctione animæ & corporis. De ratione aut quidditatis, in quantum est quidditas, non est quod sit composita, quia nunquam inveniretur simplex natura, quod ad minus in Deo falsum est; nec est de ratione ejus quod sit simplex, cum quædam inveniat composita, ut humanitas. Esse autem secundum quod dicitur res esse in actu, invenitur ad diversas naturas, vel quidditates diversimode se habere. Quædam enim natura est de cujus intellectu non est suum esse, quod patet ex hoc quod intelligi potest, cum hoc quod ignoretur an sit, sicut phænix, vel eclipsim, vel aliquid huiusmodi. Alia autem natura invenitur de cujus ratione est ipsum suum esse, immo ipsum esse est sua natura. Esse autem quod huiusmodi est, non habet esse acquisitum ab alio, quia illud quod res ex sua quidditate habet, ex se habet. Sed omne quod est, præter Deum, habet esse acquisitum ab alio. Ergo in solo Deo suum esse est sua quidditas, vel natura; in omnibus autem aliis esse est præter quidditatem, cui esse acquiritur. Sed cum quidditas quæ sequitur compositionem, dependeat ex partibus, oportet quod ipsa non sit subsistens in esse quod sibi acquiritur, sed ipsum compositum, quod suppositum dicitur: & ideo quidditas compositi non est ipsum quod est, sed est hoc quo aliquid est, ut humanitate est homo; sed quidditas simplex, cum non fundatur in aliquibus partibus, subsistit in esse quod sibi à Deo acquiritur; & ideo ipsa quidditas Angeli est quo subsistit etiam ipsum suum esse, quod est præter suam quidditatem, & est id (3) quo est; sicut motus est id quo aliquid denominatur moveri: & sic Angelus compositus est ex esse, & quod est, vel ex quo est, & quod est: & propter hoc in Lib. de Causis (propos. ix.) dicitur, quod intelligentia non est esse tantum, sicut causa prima; sed est in ea esse, & forma, quæ est quidditas sua: & quia omne quod non habet aliquid ex se, sed recipit illud ab alio, est possibile, vel in potentia respectu ejus; ideo ipsa quidditas est sicut potentia, & suum esse acquisitum est sicut actus: & ita per consequens est ibi compositio ex actu, & potentia; & si ista potentia vocetur materia, erit compositus ex materia, & forma: quamvis hoc sit omnino æquivocum (4) dictum: sapientis enim est non curare de nominibus.

Ad primum ergo dicendum est, quod de ratione substantiæ est quod subsistit quasi per se ens; & ideo forma, & materia, quæ sunt pars compositi, cum non subsistant, non sunt in prædicamento substantiæ sicut species, sed solum sicut principia. Quod autem hoc subsistens habeat quidditatem compositam, non est de ratione substantiæ: unde non oportet illud quod est in prædicamento substantiæ, habere quidditatem compositam; sed oportet quod habeat compositionem quidditatis, & esse: omne enim quod est in genere, sua quidditas non est suum esse, ut Avicenna (Metaph. tract. viii. cap. iv. ac deinceps) dicit. Et ideo non potest Deus in prædicamento substantiæ poni: unde Boetius intendit dicere, quod inter tria hæc, scilicet materiam, formam, & compositum, ex his solum compositum est in genere substantiæ sicut species; non autem intendit quod omne quod est in genere substantiæ, sit compositum ex materia, & forma.

(10) Nicolai non stetit. (11) Al. Et insint prædictis, &c. (12) Al. deest Si non.

Ad secundum dicendum, quod aliqua sunt unius generis, logice loquendo, quæ naturaliter non sunt unius generis, sicut illa quæ communicant in intentione generis, quam Logicus inspicit, & habent diversum modum essendi: unde in X. Metaph. (text. xxvi.) dicitur, quod de corruptibilibus, & incorruptibilibus nihil commune dicitur, nisi communitate nominis: & ideo non oportet Angelos cum corporalibus eadem principia communicare, nisi secundum intentionem tantum, prout in omnibus invenitur potentia, & actus, analogice tamen, ut in XII. Metaph. dicitur (text. xxvi.).

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Commentator in III. de Anima (concl. v. & xii.) recipere, & omnia huiusmodi, dicuntur æquivoce de materia, & intellectu: materia enim prima recipit formam, non prout est forma simpliciter, sed prout est hoc, unde per materiam individuatur; sed intellectus recipit formam, in quantum est forma simpliciter, non individuans eam, quia forma in intellectu habet esse universale: unde etiam Philosophus ibidem (text. xiv.) dicit, quod intelligere, pati quoddam est; sed communiter, & æquivoce dictum: unde ex hoc non ponitur compositio, vel materialitas substantiæ intellectualis.

Ad quartum jam patet responsio per ea quæ dicta sunt: ostensum est enim quod in Angelo est potentia, & actus; non tamen sicut partes quidditatis; sed potentia tenet se ex parte quidditatis, & esse est actus eius.

Ad quintum dicendum, quod obiectio procedit ex falso intellectu literæ: non enim est sensus quod ens creatum componatur ex finito, & infinito, sicut ex partibus integralibus, sed sicut ex partibus subjectivis: quia ens creati quoddam est finitum, sicut corruptibile, & quoddam infinitum, sicut incorruptibile, quod non est determinatum ad esse tantum, sed quandoque est, & quandoque non est: unde in quodam Comment. Lib. de Causis exponitur infinitum, id est potens esse, vel non esse. Vel dicendum, quod componitur ex infinito, scilicet ex potentia, & finito, scilicet ex actu.

Ad sextum dicendum, quod forma omnino simplex, quæ est suum esse, sicut essentia divina, de qua Boetius ibi loquitur, nullo modo potest esse subjectum; sed forma simpliciter subsistens quæ non est suum esse, ratione possibilitatis quam habet, potest subjectum esse; sed (5) æquivoce à modo quo materia, vel materiale subjectum dicitur, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum in Angelis possit esse personalitas. Quodl. II. art. 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Angelis non possit esse personalitas. Individuatio enim est de ratione personæ, quia persona est rationalis naturæ individua substantia. Principium autem individuationis est materia. Cum ergo Angelus materia careat, ut dictum est, videtur quod ab eo personalitas excludatur.

Præterea. Omnis forma, quantum est de se, communicabilis est, & universalis. Sed Angelus est forma simplex. Ergo videtur quod sit universalis.

(5) Nicolai æquivoce modo, &c. (1) Nicolai: vel ad corruptibilibus, vel in materia, &c.

Sed universalia non dicimus personas, ut dicit Boetius (Lib. de duabus Naturis post princ.) Ergo videtur quod Angelus non sit persona.

3. Præterea. Perfectio debet perfectibili proportionari. Sed forma intelligibilis, quæ est perfectio intellectus, non habet rationem singularis, sed magis universalis. Ergo nec intellectus. Sed Angeli sunt divini intellectus, & divinæ mentes, ut dicit Dionysius (cap. xi. cœl. Hierar.) Ergo non sunt personæ.

4. Præterea. Persona est rationalis naturæ individua substantia. Sed à Dionysio (de div. Nom. cap. v.) ponitur Angelus in ordine intelligibilium, quæ supra rationabilia consistunt. Ergo videtur quod Angelus non sit persona.

Sed contra. Persona secundum magistros est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Sed Angelus, cum sit quid subsistens, dicitur hypostasis, & ejus proprietates sunt nobilissimæ. Ergo videtur quod sit persona.

Præterea. Hoc idem habetur ex littera, & ex dictis Richardi de Sancto Victore, qui secundum diversas proprietates, diversimode personam ponit in homine, Angelo, & Deo.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod personalitas est in Angelo, alio tamen modo quam in homine: quod patet, si tria quæ sunt de ratione personæ considerentur, scilicet subsistere, ratiocinari, & individuum esse. Subsistit enim homo in partibus suis, ex quibus componitur; sed Angelus in natura sua simplici nullo indiget partium, vel materiæ fundamento. Ratiocinatur homo discurrendo, & inquirendo lumine intellectuali per continuum, & tempus obumbrato, ex hoc quod cognitionem à sensu, & imagine accipit: quia secundum Isaac in Lib. de definit. ratio oritur in umbra intelligentiæ; sed Angelus lumen intellectuale purum, & impermixtum participat: unde etiam sine inquisitione deiformiter intelligit, secundum Dionysium. Similiter incomunicabilitas est in homine ex hoc quod natura sua receptibilis in materiæ fundamento, per materiam determinatur; sed in Angelo in se determinata est ex hoc quod in aliquo sicut forma determinabilis recipi non potest; & ex hoc ipso satis communicabilis est, & non per determinationem recipientis: sicut & divinum esse est proprium, & determinatum, non per additionem alicujus contrahentis, sed per negationem omnis adhibiti: unde dicitur in Lib. de Causis, quod individuatio sua est bonitas pura. Quare patet quod multo nobilior est personalitas in Angelo quam in homine, sicut & cætera quæ eis conveniunt, secundum Dionysium.

Ad primum ergo dicendum, quod forma participabilis non individuatur nisi per materiam, in qua accipit esse determinatum; sed forma quæ non est receptibilis, non indiget materia determinante, sed in sua natura determinatur ad esse quod sibi (1) non ad materiam dependens acquiritur, sicut formis corruptibilibus; nec in materia, etsi non ad materiam dependens, sicut animæ rationali.

Et per hoc etiam patet responsio ad secundum: quia forma rationem universalitatis habet ex hoc quod in pluribus est receptibilis.

Ad tertium dicendum, quod forma participabilis non individuatur nisi per materiam, in qua accipit esse determinatum; sed forma quæ non est receptibilis, non indiget materia determinante, sed in sua natura determinatur ad esse quod sibi (1) non ad materiam dependens acquiritur, sicut formis corruptibilibus; nec in materia, etsi non ad materiam dependens, sicut animæ rationali.

Ad tertium dicendum, quod forma quæ est recepta in intellectu, potest dupliciter considerari: vel per comparisonem ad rem cuius est similitudo; & sic habet universalitatem: non enim est similitudo hominis secundum condiciones individuantes, sed secundum naturam communem: vel per comparisonem ad intellectum, in quo habet esse; & sic est quid individuum, quemadmodum intellectus; & alia numero species intellecta hominis est in intellectu Sortis, & alia in intellectu Platonis: unde non oportet intellectum non esse quid determinatum, & subsistens.

Ad quartum dicendum, quod rationale, secundum Dionysium, est in Angelis, & in Deo eminenter, secundum quem modum ipse intellectus divinus, & angelicus ratio nominatur.

ARTICULUS III.

Utrum in Angelis possit esse numerus.

I. P. quæst. I. art. 3. & II. cont. Gent. cap. xiiii. & opusc. II. cap. 2. 3. & 4.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in Angelis non possit esse numerus. Numerus enim quantitas est. Sed quantitatis subjectum est materia. Cum ergo in Angelis non sit materia, ut dictum est, videtur quod nec numerus.

2. Præterea. Secundum Philosophos, in his quæ sunt sine materia, non potest esse numerus, nisi secundum causam, & causatum. Sed unus Angelus non est causa alterius. Ergo si sunt sine materia, nullus numerus in eis esse potest.

3. Præterea. Quanto aliquid est propinquius uni simplici, tanto minus dividitur. Sed inter omnes creaturas natura angelica Deo est propinquior, secundum Augustinum, qui dicit in Lib. Confess. (1) cap. vii. Duo fecisti, Domine: unum prope te, scilicet Angelum, alterum prope nihil, scilicet materiam. Ergo videtur quod vel non sit in eis numerus aliquis, vel sit paucissimus.

4. Præterea. Cum partes universi sint ordinatæ ad invicem juvantes se mutuo, illud ex quo non provenit utilitas in partibus universi, videtur esse frustra vel vanum, & sic omnino non esse. Sed spiritualis substantia non juvat ad corporalem, nisi movendo ipsam. Ergo videtur quod non sunt plures substantiæ separatæ, nisi quibus expletur motus corporalis creaturæ: & ita videtur quod numerus Angelorum sit accipiendus secundum numerum motuum cœli, vel etiam ipsorum mobilium. Ergo videtur quod numerus Angelorum determinatus possit esse nobis.

5. Præterea. De Angelis, secundum Dionysium, cap. I. & II. de cœl. Hier., nihil scire possumus, nisi ea quæ nobis in sacra Scriptura traduntur. Sed Danielis vii. 10. dicitur: Milia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. In II. Sent. Tom. II.

(1) Augustinus: Unde fecisti cælum, & terram, duo quiddam: unum &c. (2) Al. dicitur Scripturis. (3) Al. dicunt. Ex Edit. P. NICOL. (a) Quod subjungitur ex Hieronymo, quoad priorem quidem partem habetur in Matth. xviii. super illud, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: sed posterior apud Gregorium Nissenum de vita Moysis. (b) Vel sic tantum: Superiorum civium numerus & infinitus, & definitus est: Deo numerabilis, nobis innumerabilis: & quia plures sunt qui ministrant quam qui principaliter assistunt; assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero infinitus ostenditur. Sumptum est autem ex Moraliu Lib. XVII. cap. ix. super illud Job xxv. Numquid est numerus militum ejus? nimirum Dei, quos utique Angelos esse notat; non, ut indicat Glossa, ex hom. xxxiv. in Evang. ubi hunc locum quidem Danielis recenset, sed non eodem sensu.

Ergo videtur quod numerus eorum sit nobis determinatus.

Sed contra Hieronymus (a) dicit (super Matth. cap. xviii.) quod unaquæque anima habet Angelum bonum ad custodiam, & malum ad exercitium sibi deputatum. Sed numerus hominum in mundo simul viventium est nobis indeterminatus. Ergo & numerus Angelorum custodum, qui sunt unius ordinis, & multo fortius numerus omnium Angelorum.

Præterea. Job xxv. 3. dicitur: Numquid est numerus militum ejus? Milites autem ejus sunt Angeli, ut habetur Luc. II. 13. Facta est cum Angelo multitudo militum cœlestis. Ergo videtur quod numerus eorum non sit nobis determinatus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ratio humana deficit à cognitione substantiarum separatarum; quæ tamen sunt notissima naturæ, ad quæ intellectus noster se habet sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ut dicitur in II. Metaphys. (text. I.) & ideo dicitur in XI. de animalibus, quod de eis valde pauca scire possumus per rationem; quamvis illud quod de eis est scitum, est valde delectabile, & amatum. Et ideo Philosophi de illis nihil quasi demonstrative, & pauca probabiliter dixerunt: & hoc ostendit eorum diversitas in ponendo numerum Angelorum. Quidam enim posuerunt numerum substantiarum separatarum secundum numerum motuum cœli, sicut Aristoteles in XII. Metaphys. (text. xl. l. i.) Quidam secundum numerum sphaerarum, ut Avicenna in sua Metaphysic., tract. ix. cap. II. & 3. Quidam autem negaverunt omnino aliquid esse incorporeum, sicut Empedocles, & Democritus, & Saducaei Judæorum. Quidam etiam posuerunt unum tantum esse Angelum, qui diversa sortitur vocabula secundum diversos actus, sicut quidam hæretici. Quidam vero posuit Angelos non in determinato numero nobis; sed tantum per Angelos significari (2) dicit in Scripturis omnem virtutem, vel corporalem, vel spiritualem, per quam Deus ordinem suæ providentiæ explet quasi divinæ voluntatis nuntium; adeo quod vim concupiscibilem nominat Angelum concupiscentiæ; sed substantias separatas (3) dicit esse secundum numerum quem Philosophi posuerunt: & iste est Rabbi Moyses (Lib. II. direct. cap. xii.) Fides autem catholica tenet, numerum substantiarum separatarum, quas Angelos dicimus esse numerum Deo finitum, sed nobis infinitum. Unde Gregorius (b) dicit in Glossa Danielis vii. quod excedit omnem materiale multitudinem, ut Dionysius dicit xiv. cap. cœl. Hierar. Et hoc satis est probabile. Videmus enim illa corpora quæ nobilior divinam bonitatem participant, scilicet cœlestia, excedere quasi sine proportionem corpora generabilia, & corruptibilia. Et hoc est, quia productionis creaturarum causa est divina bonitas

E 2

quam

quam rebus communicare voluit: unde videtur quod naturas spirituales, in quibus maxime sua bonitas relucet, creavit in numero quasi improportionabiliter crescente numerum naturarum corporalium. Qualiter autem distinguantur ad invicem, accipere possumus ex verbis Commentatoris in III. de Anima, ubi dicit, quod si natura intellectus possibilis esset nobis ignota, non possemus assignare numerum substantiarum separatarum.

Unde dico, quod secundum gradum possibilitatis permixtae in natura angelica, est eorum distinctio. Dicitur enim supra, quod ipsa natura, vel quidditas Angeli est possibilis respectu esse quod a Deo habet. Invenitur enim natura cui possibilitas admiscetur plus & plus distans ab actu, secundum quod recedit a similitudine divinae naturae, quae est actus tantum. Illa ergo quidditas est actus completus praeter quam non est suum esse, scilicet naturam divina: (4) & illa quidditas simplex quae est propinquior per similitudinem ad divinum esse, minus habet de potentia, & plus de actu, & est Deo vicinior, & perfectior: & sic deinceps, quousque veniatur ad illam naturam quae est in ultimo gradu possibilitatis in substantiis spiritualibus; adeo quod non acquiritur sibi esse nisi in altero, quamvis esse suum ab illo non dependeat, scilicet intellectus humanus, qui secundum Commentatorem, est ultimus in ordine naturarum intellectualium, sicut materia prima in ordine corporalium.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in primo Libro dicitur, est, unum dicitur dupliciter. (5) Uno modo secundum quod convertitur cum ente, quod non determinatur ad aliquod genus, & similiter nec multitudo sequens ad tale unum; & talis multitudo ponitur in Angelis, quae non sequitur divisionem quantitatis, vel materiae, sed distinctionem naturarum. Alio modo dicitur unum quod est principium numeri, qui est discreta quantitas, (6) causatus ex divisione materiae, vel continui; & talis non est nisi in materialibus.

Ad secundum dicendum, quod etiam secundum Philosophos qui distinguunt numerum substantiarum separatarum per causam, & causatum, causa, & causatum non sunt per se distinguenda, sed secundum eos consequuntur ad principia distinctionis: cum enim distinctio sit, per se loquendo, per hoc quod est major, vel minor compositio, & secundum distantiam potentiae, & actus, secundum eos, sequitur quod illud quod est plus in actu, sit causa eius quod est minus, secundum quem modum dicunt multitudinem ab uno primo simplici processisse; quem tamen modum dicit Commentator in XI. Metaphys. (qui est XII. Lib. Arist. comm. xxxviii. in fine) insufficienter probatum, & concedit ab uno primo simplici immediate potuisse plura procedere: ita & nos concedimus omnes naturas intellectuales immediate a Deo processisse distinctas secundum ordinem sapientiae disponentis diversos gradus naturarum spiritualium. Et ideo remoto quod infidelitatis est, scilicet ordine causalitatis ab Angelis, & retento quod fidei consonat, scilicet gradu simplicitatis, habebimus eundem modum distinctionis quem ipsi habuerunt.

Ad tertium dicendum, quod ex ratione illa probatur simplicitas angelicae naturae, & praecipue illius quae in ea suprema est; sed pluralitas gradus ab ea

(4) Al. quidditas simplex & illa quae est &c. (5) Al. deest. Uno modo. (6) Al. creatus. (7) Vulgata scilicet, Ex Edit. P. Nic. (c) Lib. IV. Dialog. cap. vi.

non tollitur. Praeterea non est loquendum de Angelis sicut de divina natura, specialiter cum plures Angeli non tantum numero, sed specie differant, ut dicitur.

Ad quartum dicendum, quod Angeli non sunt facti propter motum corporalium, quia nihil fit propter vilius se: unde si sunt aliqua substantiae non moventes, non sequitur quod sint superfluae. Nihilominus tamen dicendum, quod ex omnibus substantiis illis provenit aliqua utilitas per juvenitum in rebus corporalibus: quia inferiores Angeli in motu sphaerarum Deo ministrant, sicut a quibusdam dicitur, & probabile videtur, cum Gregorius (c) dicat corporalem creaturam per spiritualem administrari. Illuminatio autem inferiorum Angelorum est a Deo per proximos, & medios, ut dicit Dionysius (coel. Hierar. ad fin. xiiii. cap.) & ita omnes influentiam habent super motum corporalium, vel ad minus quantum ad custodiam hominum, quae pertinet ad ultimum ordinem.

Ad quintum dicendum, quod verba ista aliter a Gregorio, & a Dionysio exponuntur; & quantum ad aliquid eodem modo: in hoc enim conveniunt quod Angelorum numerus non est determinatus nobis; sed in hoc differunt, quia Dionysius (ubi sup. cap. xiv. in princ.) vult, quod cum dicitur, *Millia millium*, unum mille multiplicat aliud, ac si diceret, *Milliesies mille*; & sic aequalis numerus importatur, cum dicitur, *Millia millium* primo, & *decies centena millia* secundo, quod habet una littera. Tantum enim est decies centum millia, quantum millies millia. Et secundum hoc datur intelligi quasi aequalis numerus ministrantium; & assistentium. Vel secundum aliam litteram (7) quae habet, *Millia millium ministrabant ei*, & *decies millies centena millia assistebant ei*: datur intelligi, quod numerus assistentium excedit numerum ministrantium propter suam nobilitatem; quod consonat ei quod supra dictum est secundum intentionem Dionysii (loc. cit.) quod scilicet nobiliores creaturae plures sunt. Unde dicit, quod in hoc verbo maximus numerus apud nos nomen proprium habens, scilicet mille, multiplicatur per omnes maximos numeros, scilicet limites nominatos, scilicet per se ipsum, cum dicitur *Millia millium*; per denarium cum dicitur, *Decies millies*, per centenarium cum dicitur, *Centena millia*: in quo ostenditur maxima numerositas excedens nostrum intellectum. Sed Gregorius vult quod sit constructio partitiva, cum dicitur, *Millia millium*, quasi diceret, *Millia de numero millium*: unde vult quod datur intelligi major numerus ministrantium quam assistentium, per hoc quod ad administrantes ponitur numerus non determinatus, & ad assistentes determinatus.

ARTICULUS IV.

Utrum unius speciei sint plures Angeli.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod sint plures Angeli unius speciei. Sicut enim Angelus est substantia simplex, ita & anima. Sed omnes animae rationales sunt unius speciei. Ergo & omnes Angeli.

2. Praeterea. Perfectio una secundum speciem est eorum quae in specie conveniunt. Sed omnes An-

geli sunt perfectibiles una perfectione secundum speciem, quae est gratia, vel gloria. Ergo videtur quod sint unius speciei.

3. Praeterea. Divinae bonitatis, ut dictum est, proprium est nobiliora in entibus magis multiplicare, ut bonitas sua magis diffundatur. Sed in vilius creaturis invenitur magna multitudo participantium unam speciem. Ergo videtur quod multo fortius hoc sit in Angelis.

4. Praeterea. Secundum Boetium (a) (II. de Consol. prosa iv. in med. ex viii. cap.) nullius rei sine consortio potest esse jucunda possessio. Sed in Angelis est maxima jucunditas, cum delectatio sit de ratione felicitatis, secundum Philosophum in I. Ethic. Ergo videtur quod in Angelis sit multorum consortium in una specie.

Sed contra. Multiplicatio individuorum unius speciei non est nisi ad conservandum speciei perpetuitatem, quae in uno salvari non potest: unde in corporibus incorruptilibus non est nisi unum individuum unius speciei, ut sol, & luna. Sed Angelus est substantia incorruptibilis. Ergo non sunt plures Angeli unius speciei.

Praeterea. Angelus est perfectior quolibet corpore. Sed aliquid corpus ad tantam perfectionem pervenit ut nihil suae naturae sit extra ipsum, ut patet in his quae constant ex tota materia suae speciei, ut patet in caelo, ut dicitur in I. Coel. & mundi (a text. xci. usque ad xcvi. Ergo videtur quod multo fortius extra unum Angelum non sit aliquid suae speciei.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones. Quidam enim dixerunt, quod omnes Angeli sunt unius speciei, adeo quod etiam Angelus, & anima non differunt specie. Alii vero dicunt, quod Angelus, & anima differunt specie, & Angeli unius ordinis ab Angelis alterius ordinis: sed omnes qui sunt unius ordinis, sunt unius speciei. Alii vero dicunt, quod nullus Angelus est unius speciei cum alio: & haec opinio concordat cum dictis Philosophorum, & etiam Dionysii, qui ponit in x. cap. cael. Hierar. (in princ.) in eodem ordine esse primos, medios, & ultimos. Et huic necessarium est consentire, tum ex immaterialitate, tum etiam ex incorporeitate. Si enim immateriales ponuntur, cum nulla forma, vel natura multiplicet numerum nisi in diversitate materiae, oportet quod forma simplex, & immaterialis, non recepta in aliqua materia, sit una tantum: unde quicquid est extra eam, est alterius naturae, eo quod distat ab eo secundum formam, non secundum materiale principium, quod ibi nullum est. Talis autem diversitas causat differentiam in specie. Unde oportet quoslibet duos Angelos acceptos differre secundum speciem. Hoc etiam de necessitate sequitur, si ex materia componantur, dummodo non ponantur corporea: quod sic patet. Quorumcumque materia secundum esse differre ponitur, oportet, si ista materia est ejusdem ordinis in utroque (sicut materia generabilium, & corruptibilium est una) quod diversae formae, secundum quas diversum esse accipit, recipiantur in diversis

(1) Al. deest enim. Ex Edit. P. Nicolai. (a) Citat etiam ex eodem 1. 2. quest. iv. art. 7. & in quest. disp. de pot. q. ix. art. 5. argum. 23. Sed apud illud non occurrit: nam quod hic prius ad marginem indicabatur II. de Consol. pros. iv. in med. fictitium est.

partibus materiae. Non enim una pars materiae, diversae formas oppositas, & disparatas simul recipere potest. Sed impossibile est in materia intelligere diversas partes, nisi praetelligatur in materia quantitas dimensiva ad minus interminata, per quam dividatur, ut dicit Commentator in Libro de substantia orbis (cap. i. post princ.) & in I. Physic. quia separata quantitate a substantia, remanet indivisibilis, ut in I. Phys. Philosophus dicit. Sed nulla forma recipitur in materia sub quantitate intellecta, nisi forma corporalis. Ergo impossibile est duos Angelos communicare in materia, vel in potentia unius ordinis. Sed omnis forma, vel natura quae recipitur in diversis gradibus potentiarum, recipitur secundum prius & posterius secundum esse. Impossibile est autem naturam speciei communicari ab indivisibilis per prius & posterius, nec secundum esse, nec secundum intentionem; quamvis hoc sit possibile in natura generis, ut dicitur in III. Metaph. (text. xi.) Ergo impossibile est duos Angelos, si sunt incorporei, esse unius speciei.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis anima sit forma simplex, sicut & Angelus, tamen anima non recipit esse a Deo, nisi in corpore: quia, secundum Augustinum, & infundendo creatur, & creando infunditur. Unde ex corpore recipit esse individuum: quod quia non dependet ex corpore, remanet individuum, etiam destructo corpore. Ideo Augustinus dicit (VII. Lib. de Gen. ad litt. plures, a cap. iiii. usque ad xiiii. & ad Renatum Lib. I. de origine animae) quod impossibilis est positio illorum haereticorum qui dicunt, plures animas ante corpus creatas fuisse. Sic autem non est in Angelo; & ideo non est ratio similis.

Ad secundum dicendum, quod hoc tenet in perfectionibus quae sunt de natura rei, non autem in perfectionibus superadditis, quae non sequuntur ex principiis naturae, quales sunt gratia, & gloria. Posunt enim etiam in corporibus diversa secundum speciem unum specie colorem habere.

Ad tertium dicendum, quod perfectio universi essentialis non attenditur in individuis, quorum multiplicatio ordinatur ad perfectionem speciei, sed in speciebus per se. Unde magis apparet divina bonitas in hoc quod sunt multi Angeli diversarum specierum, quam si sint unius speciei tantum.

Ad quartum dicendum, quod delectatio, secundum Philosophum in Ethicis (X. Lib. cap. viii.) sequitur operationem perfectam: & ideo ad jucunditatem consortium exigitur in illa natura in qua non potest esse in uno perfecta operatio sine alterius adiutorio, ut in hominibus & in quibus unus per seipsum non sufficit ad operationem suae speciei: quod non potest in Angelis poni: & ideo huiusmodi objectio est vana. Non tamen negamus quin unus Angelus ab alio juvetur, cum inferiores per superiores illuminentur: & in hac societate est jucunditas civium caelestis curiae. Sed ad hoc non exigitur unitas speciei, sed conformitas gratiae.

AR-